

ETYMA LATINA

provincia

Vox eiusdem suffixi ope ac *long-inquus*, *prop-inquus* formata est. Igitur M. Leumann, Glotta 34 (1955), 229 etiam voci *prōvinciae*, quae ex adiectivo quodam **prōvinquos* vel **prōvincos* profecta est, sensum localem inesse iure monet. Cum vero lat. *prae*, *pri* < **prei* („antiqui pro prae dixerunt“ Fest. p. 226: Walde—Hofmann II 285), *pro*, *prō* paene idem valeant et *privus* < **prei-ūo-s* „für sich bestehend, einzeln; eigentümlich . . .“ (ibid. 363) significet, etiam vox **prō-ūo-s*, unde **prō-ū-inquos* derivatum est, declaravisse videtur *sepositum* aliquod. Qui sensus etiam voci *provinciae* tribuendus videtur, cf. Walde—Hofmann II 378, qui Pisani RCist. Lomb. 74 (1940)1, 148 ss. sententiam referunt: „Bereich, innerhalb dessen der Konsul oder Prätor sein Imperium ausübt.“

sagitta

Et Walde—Hofmann et Ernout—Meillet vocem *sagittae* originis alienae putant eoque magis, quod Romanos antiquitus arcu et sagittis usos negant. Sed multae res, quamquam prius inventae erant, postea appellatae sunt vel aliud nomen invenerunt. Itaque et vocis *sagittae* originem latinam indagare licet. Ac primum quidem praeter formam in *-itta* desinentem formam *sagīta* novimus, v. Walde—Hofmann s. v. Forma vero in *-itta* exiens e numero earum vocum est, quae affectivae vel expressivae dicuntur, praesertim cum genus teli proximum, quae est *funda*, in linguis recentioribus ob eandem rei naturam varias induisse formas, quae sunt **frunda*, **flunda*, K. Jaberg, „Die Schleuder“ (Festschrift A. Debrunner, Bern 1954, 213 ss.) luculente monstraverit. Itaque sagittam eam interpretari non dubito, quam venatores vel milites *sagacem* ad feram vel hostem inveniendum et ferendum cupiebant. Nam venatores et milites saepe isdem vocabulis usos esse G. Redard, „Latin *plōrāre*: *implōrāre*, *explōrāre*“ (Sybaris. Festschrift H. Krahe, Wiesbaden 1958, p. 82) nuperrime monuit. Stirps vero et *sag*- < **sæg-* et *sāg-* est, cf. *sagāx*: *sāgus*, *sāgiō*, ἡγάρομαι, v. Walde—Hofmann I. c. Porro stirps in *-i-* vocalem desinens in verbo *sāgiō*, *-ire* et hitt. *šakāi-š* „omen“ (Friedrich, Heth. Wb. 176) recurrit. Itaque *sagit(t)a* e nomine **sagi-*, „sagacitas“, quod voci hitt. *šakāiš* respondet, derivatum est, cf. *crīnītus*, *aurītus*, *ācītūm* (ex adi. **ācītus* „mit Beschleunigung [āctus]

versehen“, v. Leumann, Lat. Gramm. 227 infra). Id quoque animadvertendum est voce *sagittae* votum significari et sagittam vel rationis participem induci. Hic commemorare iuvabit inscriptiones illas notissimas glandium plumbearum, ut sunt: *feri Pomp(eium)*, *fer sal(utem) Pom(peio)* sim., de quibus uberiora apud Pauly—Wissowa RE VII 1379, 5 ss. leges. De vocibus autem, quibus vota exprimuntur, v. Kretschmer, Glotta 24 (1936), 78 s., qui de commentario refert, quem N. Andriotis (Ἀθηνᾶ XLIV 193—222) scripserat. Verba Kretschmeri haec sunt: „ . . . In den meisten Fällen werden üble Wünsche, Flüche in solchen Adjektiven zum Ausdruck gebracht . . . “ Cuius generis *participia* et *adiectiva optativa* sunt hom. οὐλομένη A 2 „die zugrunde gehen möge“, ὀνήμενος β 33 vel recentiora, ut sunt ἀναθεματισμένος „einer, der verflucht sein möge“, ψόφιος „einer, der krepieren möge“ vel alia sescenta. Nec mirum venatores vel milites Romanos simili modo sagittam appellavisse.

scolopax

Vocem Walde—Hofmann s. v. „Schnepfe“ vertunt eamque originis ignotae dicunt. At apud Aristot. HA 617 b 23 ἀσκαλώπας m. legitur, quod LSJ his verbis reddunt: „prob(ably) *woodcock*, *Scolopax* (!) *ruricola*“. Nec dubium esse potest, quin vox latina e graeca pendeat. Ut *praegnās*: *praegnācis* ortum est ad exemplum adi. *audāx* (quod *-ās* proferebant): *audācis*, ita *scolopāx* (i. e. *-ās*, quod gr. *-ας* est): *-ācis* in usum venit. Utrum vero vox graeca aliqua *ἀ-* detracto extiterit necne, diiudicari non potest. Sed cf. ἄσταχος: στάχος, (ἀ)σπάλαξ, del. (ἀ)σταίς (Kretschmer, Glotta 21, 89), (ἀ)στεροπή.

Ljubljana.

M. Grošelj.